Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam Famati Fid. nobis dilecti Conqueritur Honesta Margaretha Cieckowa Famati Joannis Ciecko consulis Przemisliensis consors quod iustitiam de Honesto Valeriano Rabinskij qui iam vulneribus cruentis et enormibus multisque alijs iniurijs affecisse dicitur a Fid. vestris consequi nequeat. Mandamus itaque Fid. vestris, ut quamprimum literae praesentes ad manus Fid. vestrarum pervenerint eidem Margarethae Cieczkowa de praefato Valeriano indilatam iustitiam administrent Pro gratia nostra et officio Fidelitatum Vestrarum debito Datum Cracoviae etc.

Salvus conductus

Sigismundus etc. Significamus etc.

Nos certis de causis accepisse in patrocinium et protectionem nostram Regiam Nobilem ac Famatum Stanislaum Chmielecskij Nobilis ac Famati Petri Chmielecskij civis Cracoviensis filium. Muni-cum cui securitatis causa salvum conductum nostrum Regium a vi et potentia tam officij Capitanealis quam Magistratus civilis Civit. Cleparidiensis et Casimiriensis omniumque personarum iurisditioni civili subiectarum ad spacium sex mensium concessimus concedimusque literis hisce nostris quibus fretus tuto et secure ac sine pertimescentia quarumuis personarum in Regno et Dominijs nostris versari negotiaque sua licita et honesta peragere possit personis rebusque ipsius omnibus sub nostra protectione salvis permanentibus Ita tamen ut omnibus de se conquerentibus in foro competenti sese iustificet Item quoque ut beneficio hoc nostro non abutatur geratque et ipse sese pacate contra omnes neque rixarum et contentionum occasionem det et praeterea ut illis a quibus potissimum vim metuisset ad notitiam id officiose deducat et intimet Quod omnibus quorum interest praesertim vero Magistratibus locorum quorumuis notum esse volumus Mandantes ut requisiti a praefato Stanislao Chmielecskij, vel ipsius mandatario has literas salvi conductus nostri publicari praeconis voce ac ad omnium notitiam deduci curent Iniungentes omnibus nequid contra Praenominatum Stanislaum Chmielecskij vi et armis attentent, sed iure mediante de omnibus controversijs cum illo experiantur sub poenis in violatores salvi conductus nostri sancitis In cuius rei fidem etc.

Mandatum

Sigismundus etc.

Spectabili Joanni Cipser Iuris Supremi Magdeburg. Castri Crac. Scabino Fid. nobis dilecto gratiam nostram Regiam Spectabilis Fid: nobis dilecte Intelleximus Famatum Ludovicum Fiora Italum ex speciali nostra permissione certam summam pecuniariam Ducentorum quinquaginta flor. quam olim Georgius Bandrata apud Fid: tuam habuit in certo suo debito arrestasse eiusque Aresti rigore